

Card. *Bona*, *Grancolas*, *Devotus* et alios, natus est mitræ episcopaloris usus : hodierna tamen illius forma ultra decimum sæculum non ascendit, ut ostendunt Card. *Bona*, PP. *Ménard*, *Martène*, *Mabillon*, etc. Triplicis generis distinguuntur mitræ, videlicet simplex, auriphrygiata et pretiosa. Inter abbates alii habent annulum et baculum tantum ; alii vero habent etiam mitram cum cæteris ornamentiis pontificalibus. Inter eos qui privilegio pontificale gaudent, alii solam mitram simplicem deferunt, alii mitram auriphrygiatam, et nulli pretiosam.

§ IV.— De cappa seu pluviali, superpelliceo, etc.

Durandus, l. 3, cap. 1, n. 13; *Honorius August.* in *Gemma animæ*, l. 1, cap. 227, cappam describunt ostenduntque eam tunc eamdem habuisse quam nunc habet formam. Primitus quoddam erat tugarium contra pluviam, unde vocatur pluviale, et ideo habet caputum quo olim tegebatur caput. Ab usu communi ad conditionem specialis ornamenti transiit, sicut aliæ pleræque vestes sacræ.

Non solum episcopus et presbyter, sed inferiores clericorum ipsique laici, officio cantorum fungentes, cappas seu pluviales deferre possunt.

Pluviali utitur sacerdos, ex Rubrica, in processionibus sanctissimi Sacramenti et in quibusdam aliis, in benedictionibus quæ frunt ad altare, in officio solemni laudum et Vesperarum, quando assistit episcopo solemniter celebranti, post missam defunctorum, ad faciendam absolutionem. Nunquam habendus est manipulus cum pluviali seu cappa.

Gavantus dicit cappas non esse benedicendas, quia omnibus ecclesiasticis sunt communes, et ad sacrificium non ordinantur. *Quarti* vero et *Merati* concedunt nullum dari præceptum eas benedicendi, sed volunt melius esse eas benedicere sub forma pro indumentis sacerdotalibus in genere assignata.

Superpelliceum sic dictum est quia super tunicas pelli-

ceas induebatur. Ita *Durandus*, l. 3, cap. 1, n. 10. *S. Héron*, l. 1 aduersus Pelag., supra citatus, meminit candidæ vestis ad usum episcopi, presbyteri, diaconi et reliqui ordinis ecclesiastici : hæc autem vestis erat tunica albæ similis, unde venit rochetum et superpelliceum, *ut jam notorius*. Item et cotta, in Italia usitata, quæ formam habet tunicellæ rochetto contractioris. Superpelliceum, rochetum et cotta fieri debent ex lino tenui, vel ex cannabe, vel probabiliter ex xylo : ita passim fieri solent, et non videmus cur mos iste reprehenderetur. Illæ vestes quæ candidæ et mundæ semper esse debent, non benedicuntur, nec ideo reputantur sacræ.

ARTICULUS NONUS.

DE RUBRICIS SERVANDIS.

Rubricæ sic dictæ, quia rubro colore olim scribi solebant, quædam sunt regulæ communæ, continentes ritus in celebratione missæ, officii divini recitatione et sacramentorum administratione servandos. Aliæ sunt præceptivæ et aliæ directivæ. Præceptivæ ea sunt quæ ad servandos ritus illis præscriptos obligant sub peccato ; et directivæ illæ sunt quæ proprie dictam obligationem non imponunt, sed per modum consilii et instructionis statuuntur. Ita generaliter theologi quanvis accurataim non tradant regulam qua præceptivæ a directivis tuto secernantur.

Hic d'cemus 1º de obligatione rubricarum ad missam spectantium ; 2º de modis quibus contra rubricas peccari possit in missa ; 3º quasdam exponemus observationes in cæremouias et ritus missæ privatæ ; 4º item et missæ solemnis.

§ I.— De obligatione rubricarum ad missam spectantium.

1º Probabilius nobis videtur omnes rubricas intra missam seu in actu celebrationis servandas, esse præceptivas, ac proinde sub peccato obligare. Nam 1º concilium Trid., sess. 7, can. 13, anathematæ percutit eos qui dixerint « approbatos Ecclesiæ ritus in solemni sacramentorum

» administratione adhiberi consuetos , aut sine peccato a
» ministris omitti pro libitu , aut in alios novos mutari
» posse . » Confectio autem sacræ Eucharistie ad prestan-
tissimi Sacramenti administrationem pertinet , *ut patet* .

2º S. Pius V , bulla in fronte Missalis ejus apposita , ait :
» Mandantes et omnibus districte præcipientes , in virtute
» sanctæ obedientiae , ut missam juxta ritum , modum et
» normam in Missali præscriptam , decenter ac legant ...
» neque in missæ celebratione alias cæremoniæ vel preces
» addere vel recitare præsumant . » Certe tenor hujus bullæ
strictum exprimit mandatum cæremoniæ et preces missæ
non mutandi nec addendi , et ex se sub gravi obligat , ut
indicant verba *districtæ* et *in virtute sanctæ obedientiæ* .
Ergo . Ita *Merati* , *Tournely* , *Quarti* , *Collet* , *S. Ligoriū* , etc.

Unde notabilis infractio rubricarum intra missam ser-
vandarum semper est materia ad peccatum mortale suffi-
cens , et peccatum non fit veniale nisi defectu advertentiæ
aut consensus , vel ob levitatem materiæ .

3º Decisiones S. Rit. Congr. ut rubricarum Missalis
supplementum haberi debent , et si in forma rigorosa ex-
primantur , v. g. , in fine habeant , *ab omnibus servetur* ,
servari ab omnibus mandavit , etc. , eodem modo ac ipsæ
Missalis rubrica obligant ; Congregatio enim vi suæ insti-
tutionis habet facultatem sic imperandi , ipsius resolutio-
nes in eo casu ut summi Pontificis oracula haberi debent ,
et multo magis quando , ut sæpe accidit , a regnante Pon-
tifice expresse approbantur .

Si vero dubia circa ritus suborta solummodo per mo-
dum declarationis solvat , resolutiones ejus vim legis stricte
non habent , sed velut sapientissimorum virorum responsa
considerantur : attamen in eo casu opinionibus aliorum
doctorum præferri , et ideo requiri ac sedulo nosci debent .

4º Cum in multis diœcesibus et in religiosis ordinibus
vigeant consuetudines rubricis Romanis oppositæ , quæsi-
tum est an licite observari possent . Respondeat *Amor* apud
S. Ligoriū , l. 6 , n. 401 , qui eum minime improbat :
• S. Congregatio Rituum constanter tolerat consuetudi-
• nem , saltem innumorialem , contrariam rubricis . Ita-

» que tuta conscientia licet se conformare consuetudini
» diœcesanæ , præsertim in rebus levioris momenti , quæ
» non cedunt in deformitatem cultus publici . » Non reji-
ciuntur ergo consuetudines , nisi , ut addit *S. Ligoriū* ,
contineant positivam indecentiam , quæ nequeat decenter
tolerari .

Verum illæ consuetudines diœcesibus propriæ instar
rubricarum Missalis Romani obligant , et privatus absque
peccato mortali aut veniali , juxta materiam et circumstan-
tias , eis derogare non potest .

Responsiones S. Rit. Congr. ritui Romano directe appli-
cantur : ritus particulares certo existentes non abrogant ,
nec eis derogant . Ubi vero eis non contradicunt , habendæ
sunt ut regulæ præceptivæ vel directivæ , juxta eorum
tenorem et materiam . Vide *Merati* in *Gav.* , 3 p. , tit. xi ,
nº 3 .

5º Communiter docent auctores rubricas extra missam
servandas sæpe esse directivas , ac consequenter per se sub
peccato non obligare , quales sunt rubrica signacula in
Missali ad ea quæ dicenda sunt ordinandi , crucem in sa-
cristia salutandi , etc. Frequenter tamen sunt præceptivæ ,
ut dicit *Collet* , si nempe expressis verbis præcipiantur , ex
dogmate præsentia realis , vel ex natura divini sacrificii
fluant , etc. Insuper communis doctorum sententia est ,
juxta *Ferraris* , vº *Rubricæ* , n. 13 , rubricas etiam solum
directivas absque rationabili causa negligi non posse quin
admittatur culpa saltem venialis , propter inordinationem
finis aut motivi ; rectus enim finis et rationi conformis ab
observatione hujusmodi regularum ecclesiasticarum non
retraheret .

§ II. — De modis quibus peccari possit contra rubricas in missa
servandas .

Peccari potest maxime per omissionem , additionem ,
mutationem , defectum pronuntiationis et confusionem .

1º *Per omissionem* . Omittere ritum vel partem missæ
essentiale , vel , sine causa sufficienti , accidentalem nota-
bilem , est peccatum mortale : *pater ex dictis* , et est sen-

tentia communis. Hinc mortaliter peccaret qui voluntarie omittaret oblationem panis aut vini, consecrationem alterutrius speciei, elevationem hostiæ aut calicis, mixtionem aquæ cum vino aut particulæ hostiæ cum sanguine, confessionem et ea quæ sunt in principio missæ, principales Collectas, Epistolam, Evangelium, Offertorium, Præfationem, Canonem vel quamlibet Canonis orationem, *Pater noster*, *Libera nos*, *Agnus Dei*, unam ex orationibus Communionem præcedentibus, *Domine, non sum dignus*, *Quid retribuam*, patenæ et calicis purificationem, Postcommunionem, etc. Item tot modicas partes intra eamdem missam omittere, ut integræ Epistolæ, vel integro Evangelio æquivealent, vel, secundum nonnullos, minimam partem Canonis, peccatum est mortale, quia censetur materia notabilis. Item adhuc probabiliter qui benedictiones, inclinationes aut genuflexiones, in notabili parte, sine causa sufficienter excusante, omittaret vel truncaret, mortaliter peccaret. Ita *Ferraris*, v^o *Rubricæ*, n. 14; *S. Ligoriū*, l. 6, n. 400 et 405.

Contra vero veniale est omittere *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Credo*, unam Collectam vel Commemorationem, unam Prophetiam vel Epistolam in fériis Quatuor Temporum, quando plures legenda sunt, Graduale, Tractum aut *Alleluia*, Prosam, etc. Item aliquas omittere benedictiones, inclinationes, genuflexiones, aut eas usque ad terram non facere, altare non deosculari, aut simulate tantum deosculari, etc., quia hujusmodi omissiones, sigillatim sumptæ, in hominum opinione non reputantur graves : secus si plures notabilem quantitatem constituentes simul omitterentur ; tunc enim materia fieret gravis. Sic *Ferraris* et *S. Ligoriū* in locis citatis.

Notandum omissiones ex se leves gravia constituere posse delicta, 1^o ratione pravi finis, ut si sacerdos nonnullas leves omittat rubricas, animo novum inducendi ritum ; 2^o ratione contemptus, ut si sacerdos aliquam omittat rubricam, contempnendo papam vel episcopum qui eam præcepit ; 3^o ratione scandali, si nempe assistentes tali omissione ad irreverentiam erga sanctissimum Sacra-

tum notabiliter excitarentur ; 4^o ratione periculi, ut si quis absque Missali celebrare volens, periculo partes notabiles omittendi se exponat.

2^o *Per additionem.* Aliquid valde notabile, præter ea quæ in rubricis statuuntur, addere missæ, mortale esset peccatum, et quidem gravius quam similem partem præscriptam omittere; quia hoc in præcita S. Pi^o V bulla expressius prohiberi videtur, et aliunde peccata commissio[n]is graviora sunt in suo genere quam peccata omissionis, ob majus voluntarium. Hinc 1^o addere verba quæ sensum formæ consecrationis mutarent, grave esset sacrilegium, cum validitas sacramenti impediretur ; 2^o addere verba ritui sacro opposita, etsi sensum non mutant, v. g., dicere *Hoc est corpus meum de Virgine natum*, peccatum nihilominus esset mortale, quia talis mutatio reputaretur gravis ; 3^o aliquid addere etiam leve, intentione novum inducendi ritum, propter strictam concilii Trid. et S. Pi^o V prohibitionem ; 4^o aliquid addere in notabili quantitate, etiam sine animo novum induceendi ritum, circa ea quæ publice recitantur, et probabilius, inquit *Ferraris*, etiam circa ea quæ secreto dicuntur, quia talis additio est notabilis ritus præscripti mutatio.

E contra, aliquid parvi momenti et sine animo novum ritum introducendi, addere, v. g. quædam verba vel gesta, peccatum non esset mortale : ita generaliter doctores. Sic peccatum esset duntaxat veniale, 1^o dicere, *Adoro te, Jesus Christe*, elevando hostiam, pedem calicis deosculari statim post consecrationem, ob devotionem ; 2^o addere *Gloria in excelsis* vel *Credo*, cum omittendum sit, nisi id fiat cum magna deformitate aut scandalo, v. g., in missa defunctorum ; 3^o addere unam aut alteram Collectam, præter solitas, ex sola devotione, non est peccatum. A peccato veniali tamen excusandus non videtur qui hanc facit additionem die festi solemnis vel alia in qua unica dicenda est oratio, vel sole commemorationes privilegiatæ permittuntur.

3^o *Per mutationem.* Mutatio in ritu missæ cum gravi deformitate, contemptu aut scandalo, peccatum est mor-

tale; cum levi deformitate, esset peccatum veniale. *Ita omnes.* Unde 1º dicere missam votivam aut de *Requiem* iu-
festo dupli vel intra octavam privilegiatam, absque ra-
tionabili causa in rubricis approbata, est peccatum saltem
veniale, et mortale si adsit contemptus vel grave scanda-
lum. 2º Propria auctoritate mutare preces prescriptas in
alias, v. g., unam Epistolam in aliam, Evangelium in
aliud, propriam Præfationem vel Communicantes in com-
munem, etc., peccatum est tantum veniale; mortale ta-
men esset, si hæc mutatio cum magna deformitate fieret,
puta si die Nativitatis Domini, Paschæ aut Pentecostes,
diceretur Epistola vel Evangelium missæ defunctorum.
Item si gravis fieret inversio, v. g., si Evangelium dicere-
tur ante Epistolam. 3º Mutare vel omittere aliquod verbum
in Canone, si sensum mutet, est peccatum veniale. *Conci-
na*, cum quibusdam aliis, putat omissionem unius vel
alterius sancti esse peccatum mortale; alii tamen, ut
Quarti, Tournely et S. Ligoriūs, a mortali excusant omis-
sionem trium vel quatuor nominum sanctorum. *S. Congr.*
Rit., declaravit, 12 nov. 1615, regulares qui nomen epis-
copi omittebant et nomen generalis sui ei substituebant,
mortaliter peccare. Advertunt quidem doctores Congrega-
tionem supposuisse in regularibus id facientibus aut con-
temptum episcopi, aut animum introducendi novum ri-
tum; sed indubium est hujusmodi mutationem vel aliam
ei similem propria auctoritate factam, esse ad minus pe-
ccatum veniale. 4º Actiones prescriptas, v. g., crucis, in-
clinationes, genuflexiones, manuum junctiones vel eleva-
tiones imperfecte facere, aut preces leviter invertere, puta
unam orationem ante aliam dicere, secluso scandolo et
contemptu, peccatum est tantum veniale. Ita pro his om-
nibus *Ferraris*, et passim *S. Ligoriūs*.

4º *Per defectum pronuntiationis.* Rubrica enim, 1 parte,
tit. 16, plurima describit clara voce in missa privata di-
cenda, monens sacerdotem « ut ea distincte et apposite
» proferat; non admundum festinanter, ut advertere possit
» que legit; nec nimis morose, ne audientes tædio affi-
» ciat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios

» qui fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrant;
» neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non
» possit; sed mediocri et gravi quæ et devotionem moveat,
» et auditentibus ita sic accommodata, ut quæ leguntur in-
» telligant. Quæ vero secrete dicenda sunt, ita pronun-
» tiæ, ut et ipse se audiat, et a circumstantibus non au-
» diatur.»

Ponderanda sunt hæc verba, et unusquisque debet
1º discere ex rubricis quæ alta, quæ mediocri, quæ sub-
missa vel aliquantulum elevata voce pronuntiari debent;
2º quæ secreto dicenda sunt; 3º omnia distincte et devote
pronuntiare, juxta regulas prescriptas.

Circa initium decimi octavi sæculi, graviter controver-
sum est qua voce celebrans Canonem missæ pronuntiare
deberet. Quidam fortiter contendebant illum pronuntian-
dum esse clara voce, et verba rubrice, *submissa voce*, per
oppositionem ad cantum intelligenda esse. Anno 1709,
Ledieu, canonicus, olim secretarius *Bossuet*, qui novæ
editioni Missalis Meldensis præsidebat, propria auctoritate
addidit *Amen* ad verba consecrationis, cum littera rubra
R. quam aliis Ordinarii missæ et Canonis orationibus pa-
riter præfixit, ad indicandum quod, in his locis, popu-
lus vel minister nomine populi, respondere deberet *Amen*,
ac proinde totum Canonem clara voce pronuntiandum
esse. Hinc magnus exortus est rumor. *D. de Bissy*, epis-
copus Meldensis, hanc innovationem per mandatum 22 ja-
nuarii 1710 damnavit, et Missale statim reformatum
curavit.

Card. *Bona*, l. 2, cap. 13, n. 1, supponebat Canonem
usque ad decimum sæculum alta voce pronuntiatum fui-
sse: hanc sententiam acriter tuitus est *de Vert*, in opere
inscripto: *Explication des cérémonies de la Messe*. Hinc
occasio prædictæ innovationis. Sed *Vallemont*, religio-
sus Cluniacensis, in eruditio opere: *Du secret des My-
tères*, etc., et *P. Lebrun*, in longa dissertatione: *Sur
l'usage de réciter en silence une partie de la Messe dans
toutes les églises du monde*, hoc systema diserte confu-
tarunt.

Quidquid sit, constat morem tacite recitandi Canonem decimo seculo longe antiquorem esse, formaliter enim talis recitatio præcipitur in Ordine Romano II, qui est saltem septimi sæculi, juxta doctissimum *Mabillon et Merati*; et, multis fatentibus, qui totum Canonem vel magnam ejus partem clara voce recitaret, etiam sine animo novum inducendi ritum, mortaliter peccaret, quia stricto præcepto in materia gravi opponeretur; qui vero passim quædam verba, secreto pronuntianda, altiori voce pronuntiat, ut sæpe accidit, graviter non peccat, sed a veniali difficile excusatur, propter expressum rubricæ præceptum et antiquum Ecclesiæ morem, maxime si in Canone hoc sibi permittat.

Qui ita submisse pronuntiat verba consecrationis ut seipsum non audiat, mortaliter peccat, quia contradicit rubricæ in materia notabili, et sacramentum exponit nullitati: si alia verba secreto dicenda eo modo pronuntiaret, quidam dicunt eum mortaliter peccatum, sed probabilius venialiter tantum peccaret, modo reipsa distincte articularet. Vide *S. Ligorum*, l. 6, n. 414.

Item, quia omnia quidem debita voce recitaret, sed nimis festinanter, mortaliter aut leviter peccaret, prout major vel minor esset disformitas, indecentia vel scandalum: semper tamen aliquod existeret peccatum, tum propter irreverentiam, tum propter rubricæ transgressionem. Similiter veniale esset peccatum in pronuntiatione nimis prolixa, et *a fortiori* in repetitionibus indiscretis: imo illæ repetitions facile fieri possent objectum peccati mortalis, si nempe liturgiam graviter turbarent, præser-tim si in forma consecrationis id contingere.

5º *Per confusionem*. Ob rubricarum dispositionem et sanctissimi sacrificii reverentiam, cæremoniae et ritus suo ordine distincte et graviter observari debent: v. g., cele-brans et minister non debent simul loqui, nec unius incipere priusquam alter finierit, aut versiculos truncare, aut balbutiendo pronuntiare; nec sacerdos dicere *Kyrie eleison* eundo a cornu epistolæ ad medium altaris, nec alias res distincte præscriptas simul jungere; in ea enim agendi

ratione esset confusio prohibita, ac proinde peccatum grave aut leve, juxta gradum indecentiæ et deformitatis. Hinc *S. Ligoriū*, l. 6, n. 400, et multi cum illo, putant sacerdotem qui infra quadrantem absolveret missam, etiam ex brevioribus, ut de B. Maria in sabbato, a peccato mortali probabiliter excusari non posse, quia impossibile est ut in tam brevi spatio missam absolvat sine multis imperfectionibus contra rubricas, irreverentia erga sacramen-tum et scandalo erga populum. Unde *Bened. XIV*, Inst. 34, n. 39 et seq., optime docet missam nec breviorem triente, nec longiorem dimidia hora esse debere, quia in breviori spatio omnia debita reverentia agi non possent, et in prolixiori, tedium afficerentur adstantes.

Episcopi igitur et regularium prælati tenentur sub gra-vi scandalosam celeritate, quantum possunt, extirpare, et a mortali excusari non possunt sacerdotes qui, ex ne-gligentia, cæremonias addiscere non curant. Ita *S. Ligo-rius* et plures apud ipsum.

§ III.—Quædam observationes in cæremonias et ritus missæ privatæ, ubi de sacerdoce cæco et de Missali in lingua vernacula.

1º Paramenta non debent poni in altari in quo celebranda est missa, nisi pro solis episcopis et cardinalibus, ut *S. Congr. Rit. decrevit*, die 7 julii 1612: id permittitur abbatibus, sed ubi duntaxat solemniter celebraturi sunt; secus, in sacristia, sicut alii quilibet sacerdotes, paramenta sumere debent. Deficiente sacristia, habenda est mensa ab altari separata; si tandem ornamenta ex necessitate in altari ponenda sint, nunquam in medio, sed in cornu evangeli collocentur.

2º Sacerdos ad missam celebrandam accedens, vestem nigrum a collo ad talos demissam induatur; alioquin, in nostra diœcesi, suspensionem ipso facto incurreret: qui ergo aliter indutus ad celebrandum in aliqua ecclesia se præsentaret, prohibendum esset.

3º Habendum est Missale; *Tournely, Habert* aliique plures dicunt sacerdotem qui celebraret sine Missali, etiam in memoria firmiter quæ dicenda sunt teneret, mortaliter

peccaturian; quia semper aliquod esset periculum in rem gravi errandi. Alii tamen multi, ut de Lugo, Layman, Suarez, Vasquez, La Croix, Gobat, S. Ligorius, etc., docent, ut probabile, sacerdotem posse quandoque sine Missali celebrare, si facile habere non posset, et, ob præteritam experientiam, morale periculum errandi abesset.

Hinc inferunt sacerdotem cæcum aut cæcumentem facultatem obtinere posse celebrandi missam votivam de B. Maria in dominicis et duplicibus, et de *Requiem* in aliis diebus. Sed S. Concil. Congr. hanc non concedit facultatem, teste *Bened. XIV. Inst. 34, n. 5*, nisi sub clausula *quod non sit omnino cæcus, et memoriter non recitet*. Refert tamen idem Pontifex dictam Concilii Congr. hujusmodi concessisse licentiam 23 aug. 1727 cuidam parocho Florentino adeo pauperi ut pro vita sustentanda ei solum missæ stipendium superesset, idque *pro gratia, cum assistentia alterius sacerdotis*.

Collet putat episcopum, absolute loquendo, hanc concedere posse licentiam presbyteris pietate conspicuis, quamvis plures noverit qui sic dispensare non ausi fuerint, nisi pro tempore requisito ut dispensatio a S. Congr. Concilii obtineri posset.

Nos vero scimus episcopos passim in Gallia hanc licentiam pro sua prudentia concedere solitos esse, et eas apponere conditiones quæ sibi videntur necessariae ut reverentia erga sanctissimum Sacramentum servetur. Arbitramur non recedendum esse a conditione quod alias presbyter semper sit adstiturus ne aliqua contingat profanatio.

Missale autem regulariter debet esse conforme Breviario recitato; qui ergo Breviarium particulare recitat, ordinarie uti non potest ipso Missali Romano.

Sacerdos celebrans in ecclesia extranea ubi fit de duplice, tenet se conformare colori hujus ecclesiæ. Unde habens officium patroni, v. g., martyris, et celebrans in alia ecclesia dominica colorem violaceum requirente, uteatur colore violaceo et dicet missam de dominica cum commemoratione festi sui.

Si celebrat in ecclesia habente colorem suo officio con-

formem, sed ubi fit de alio festo solemnii, dicere tenetur missam festi in ea ecclesia celebrati, propter solemnitatem in loco existentem; contra vero si non esset hic solemnitas nec concursus populi, utendo colore ibi usitato, melius recitaret missam suo officio conformem, eam sumendo in Communi Missalis hujus loci, proprium non habentis. Recitare tamen posset missam loci, et quidem melius ageret, juxta *Romsée*, si officium loci esset ritus superioris proprio officio.

Quando in una ecclesia missæ votivæ aut de *Requiem* dici possunt, sacerdos extraneus ibi celebrans, et habens officium duplex, petere debet, si commode potest, colorem congruentem et dicere missam suo officio conformem. Si non habeat officium duplex, missam sui officii aut missam votivam in colore requisito celebrare poterit. Ita ferme *Romsée*, tit. 1, art. *de Coloribus*, plures S. Congr. Rit. responsiones citans.

Qui celebrat in capella populo non aperta, semper celebrare debet juxta officium a se recitatum, sine respectu ad ritum hac die in ecclesia parochiali usitatum.

Duo igitur sunt principia in memoriam semper revo- canda, videlicet 1° missam cum officio ordinandam esse, et 2° eundem semper esse debere colorem in eadem ecclesia, praeter semiduplicia, simplicia et ferias communes.

Sacerdos etiam regularis administrans pro tempore parochiam, tenet in omnibus externis actibus sequi ritum hujus loci.

Item quilibet sacerdos cantans missam publicam in aliena ecclesia, sine ullo respectu ad proprium officium, sequi debet ritum illius ecclesiæ. *Romsée, ibid.*

Confessarii et capellani monialium ecclesiæ addicti dicere possunt missas sanctorum de quibus illæ recitant officium, utendo Missali Romano, in Communi, non vero Missali ordini proprio, ut fert decretum S. Congr. Rit. a Clemente XI 1 decembris 1717 approbatum, nisi ex speciali licentia, quæ quibusdam concessa fuit, v. g., Benedictinis SS. Sacramenti, etc.

Hic forte esset locus aliquid dicendi de Missali in lingua